



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Bernardinus Episc. Pr[a]enestinus Card. Spada.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

liberalitatem à prima ætate ad extremum vsquè vitæ diem munificè exhibitam, quæ vt fœneraretur Deo, miserebatur pauperum; & quam par est Ecclesiasticæ Hierarchiæ Præsules omnes imitari, vt nempe quot quot potestatem habent, verè benefici sint, atque vocentur. Vtrum igitur Thomæ Archiepiscopo Valentino, quem Diuina fruente Beatitudine dudum colimus, Sancti appellationem, & appellationi parem cultum decernere conueniat; sicuti deliberamus adhuc Cœli implorantes oracula; ità vestras quoque sententias, Venerabiles Fratres, perlibenter exquirimus. Ad Suffragia.

Post hæc, sederunt Prælati, & singuli Cardinales suas sententias in hæc verba dixerunt: initio assurgentes detecto capite, ac postmodum tecto capite sedentes, videlicet,

Franciscus Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus.

IN hac veterum Conciliorum Romanorum vera imagine, par loco negotium de Cœli arcanis reuelandis proponitur. Thomas de Villanoua sanctus in infantia, & adolescentia virgineo, qui nunquam emarcuit, flore decora, in Augustiniana familia, & in ipso Archiepiscopatu Valentino, ad quem recta via, hoc est, vi pertractus fuit, tam diuini verbi, quam sacrarum opum dispensator fidelis inuentus, & ab omnibus agnitus est. Quamobrem, qui priuato cultu sanctimoniam eius colebant, votis, ac precibus impetrarunt, vt authoritate Sedis Apostolicæ liceret, imagines ipsius in templis radijs redimitas exponere, & publicè venerari. Reliquum est, vt additis miraculorum, & rerum præclarè gestarum probationibus, quas abundè esse existimo, eo oraculo, quo cœlestia nobis patent, & Christiana fide tenenda docemur, super cœlos gloria, & honore coronatum Thomam, Sanctitas Vestra definiat: quò eius inhabitet gloria etiam in terra nostra, & Dominus laudetur in Sanctis suis.

Bernardinus Episc. Prænестinus Card. Spada.

INter alia, quæ me, de Beato Thoma coram Sanctitate Vestra verba facturum à dicendo deterrere poterant, illud est præ-

præcipuum, quòd videbam, loci temporisque ratione id sua-
dente, pauca mihi de plurimis, iisque præstantissimis eius virtu-
tibus, esse delibanda; laudumquè flumen abundantissimum, bre-
ui verborum ambitu coercendum. Quamobrem præstare mecum
ipse putabam, nihil, quàm pauca de illo ieiunè, & exiliter loqui.
Sed quando necessario dicendum est, omnia dixisse videri poter-
o, cum dixerò, nihil admodum eorum desiderari in hoc Dei fam-
ulo, quorum causa post obitum, nonnullos, tanquam comper-
tæ sanctitatis viros, aternæquè Beatitudinis certò compotes,
sancta Sedes Apostolica Catholice Ecclesie colendos, inuocân-
dosquè proponere consuevit: id quod eius vitam, vel obiter
lustranti apparebit. Siuè enim quis in teneris eum aspiciat: siuè
mox Religiosæ familiæ alumnum consideret: seu demum populi
Præsidem, & Pastorem intueatur; in omni genere virtutum ex-
cellentem videbit. Egregiam verò atquè incredibilem erga
Dei pauperes charitatem, & misericordiam, vbique non sine
ingenti admiratione spectabit. Neque verò desunt cætera, quæ
ritè, & rectè, hac occasione requiri solent: longissimi tempo-
ris nunquam interrupta de illius sanctitate opinio, multis, ma-
gnisque miraculis confirmata: populorum præclara, & constans
deuotio: Regum, ac Principū humiles ad Sæct.^{tem} V.^{ram} transmissæ
preces: nostrorum denique temporum difficultates, & angustia;
quæ, multiplicatis apud Deum intercessoribus, opportunè po-
stulant subleuari. Quæ quidem omnia, Beatissimæ Pater, co-
gunt me, in eam sententiam descendere, vt sanctissimo Viro
Sanctorum cultum solemniter decerni posse, ac debere, constan-
tissimè censeam.

**Iulius Episcopus Sabinen. Cardinalis
Sacchettus.**

Quis dubitet, Beatissime Pater, honoribus, & laudibus ef-
ferendum esse Virum, quem ipsæ sacræ paginæ exquisiue-
runt, vt laudarent? Beatus enim Thomas est ille ex-
petitus Vir, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ
thesauris; qui que non pecunias solum, sed etiam omnem sup-
pel-